

esse falsam. Sed nullam rationem apposuit, ob quam **וַיִּקְרָא** imperf. non posset verti, adeoque tantum ineptit & garrit. Sic etiam alteram rationem ex accentibus sumptim, intactam reliquit. Ipse fatetur eodem §. *se in abyssō nihil de hoc dixisse, & concedit, multiplicari interdum propositiones tum alias, tum quoque quando plura copulata occurrunt, qualia & hæc Es. IX, 5. non satis attendentibus videri possunt.* Vide Diacrit. §. 220. sed hoc est anomalon, anomala vero & extraordinaria non sunt admittenda, nisi prægnans adsit causa. Ad oculum patet, quam obscura sint, quæ stupidus de multiplicatis propositionibus & pluribus copulatis inepte garrit, ex quo tanquam ex ungue leonem, Diacriticam ejus cognoscere poteris.

§. II.

Sed serio rem agam & necessitatem monstrabo, quæ urget, ut hoc ejus anomalon admittere debeamus, mihi enim aliisque non est anomalon, sed constans Regula, quæ tot exemplis biblicis firmata est. Wasmuthio etiam hæc observatio regula audit. Reg. XIII. m. II. p. 191. Quia formulæ proœmiales breves completum sensum non sistunt, sed auditorem tantum de sequenti effato admonent, ideo fit, ut breviores illæ formulæ sequenti effato prolixiori annexantur, & major distinctio in parte effati ponatur. Exempla videantur ap. Ledebuhr. Wasmuth. Reinbeck l. c. Si Frankius sententiam Cl. Viri refutare voluisse, debuisse probare, prædicta verba non esse formulam proœmialem, sed hoc non fecit. In aliorum itaque gratiam demonstrabo, quæ necessitas urgeat, ut h. l. formulam proœmialem admittamus. In hebræo legimus : **שֶׁמֶן וַיִּקְרָא** quæ ab hæbrææ linquæ ignaro verti possunt & appellabit nomen ejus, quod facit Frankius. Sed secundum idiotismum linguæ ab omnibus doctissimis interpretibus, imprimis a B. Varenio, B. Sebast. Schmidio, B. Glaffio aliisque redduntur : & appellabitur nomen ejus, vel : & appellabit quisque nomen ejus. Ratio, quæ interpretes movit, ut in passivo vertarent, ea erat, quod post phrasin **שֶׁמֶן וַיִּקְרָא** in toto codice sacro semper nomen appellati subjiciatur. vide exempla **Gen. V. 3.** & appellabit nomen ejus, Seth.
29. & vocabit nomen ejus Noach